

Schema parentalium, in
præmaturum & perluctuosum.
Obitum viri de re
literar...

Serlachio, Petro

1 Ic 1679 Tunandri, Nicolai



National Library
of Sweden

8
200 30

SCHEMA PARENTALIUM,

In
Præmaturum & perluctuosum
OBITUM

Viri de re literariâ optimè meriti, Pl. Reverendi
& Excellentissimi

DN. NICOLAI
TUNANDRI,

S. S. Theol. Professoris in Regiâ Academiâ Aboënsi celeberrimi,
Utriusque Consist. Adfessoris gravissimi, & Ecclesiæ, quæ in
Sundo colligitur, Pastoris vigilantissimi.

Qui Anno MDC LXXIX, die 24. Febr. exantlatis his mundi
miseriis, placidissimè in Christo, Anno ætatis sue LIV. obdormiuit;
& deinde die 16. Martij ibidem in Templo Cathedrali
solennissimis funeralibus sepulcro
illatus est.



In honorificam memoriam quondam Præceptoris laudatissimi,
supremi officii contestandi ergo erectum,
à
Nylandis.

ABOÆ, Excusum à JOHANNE Winter,

30

1679



Rtemisiam, non minùs virtutibus belli
quàm pacis insignem Reginam, ut
Mausoli mariti sui nomen aternitati
commendaret, profusis undiqve diviti-
is Poëtas & Oratores in laudes ejus in-
flammasse ferunt. Ad Mausolum no-
strum (præceptorem nimirum & pa-
tronum longè desideratissimum) spon-
taneo celebrandum motu, non muneribus, sed amore
excitati, quodve affectui morem geramus, in exornandis ejus
laudibus parentalibus vel cum ipsâ Cariæ Reginâ certare stu-
debimus. Neque immeritò: jacet namque, juxta legem uni-
versæ carni dictam, magnum ornamentum Eruditorum,
TUNANDER! jacet Academiae nostræ præcipuum decus!
jacet is, qui nuper vixit Ecclesiæ & Reipublicæ literariæ haud
vulgari bono! O fatum lamentabile! O dolor! O luctus!
quis nunc tristitiæ pudor! quis lacrymarum modus in
tam charo eradicato stipite? quis ita pumex, qui saltem non
roret, sin minùs stiller inter tot funereas aqvas. Quæso, quan-
tum vulnus bona studia ex illius obitu acceperint? promptius
est animo concipere, quàm pro justo verbis explicare. Ejus
nutu res sacræ decidebantur. Ejus arbitrato eadem gereban-
tur. Ejus facundiâ mellifluam vocem ex cathedrâ promanan-
tem, lepore sane ac sale conditam, summâ cum animi dele-
ctatione

statione aliquotiens excepimus, jam verò oppressa jacet, nec
uspiam audiri potest, dicerem equidem (quod de Erasmo o-
lim memoriæ proditum) hunc nostrum Præsulem habuis-
se Mercurium in ore, Genium in præcordiis, Palladem in ca-
pite: quippe nec Ciceronis, nec Mercurii, nec Periclis, sed
ejus unius duntaxat disertam eloquentiam cuperemus. Hujus
virtutes admirabiles & dotes divinas si brevibus adumbrare vel-
lem, maximè essent splendidæ. Quod enim disciplinæ genus
suis vigiliis non perreptavit? Cui ætati laboribus suis non
prospectum voluit? pueris, mediæ ætatis hominibus, senibus
succurrere studebat, imò ad omnium captum & ætatem miro
cum artificio sese attemperare anxie laborabat. Ut verò
alios præteream, hoc illi præ cæteris competere dixerim, ob
prorsus singularem in nos discipulos suos dilectionem, chari-
tatemque minimè vulgarem, dum adhuc viveret. Quotiens
se rebus nostris præposuit? quotiens nos convocavit, quem
divina fors tulit inspectionem nationis studiorumque ratio-
nem habere? Quotiens insuper solitus erat, nos charissi-
mos, amantissimos & exoptatissimos compellare? Quam sa-
nè erga nos dilectionem, vel hoc solo, eodemque extremo
pietatis officio, conabimur non secus atque gratitudine quâ-
dam, aliquâ ex parte saltem compensare. Hic singulari pru-
dentiâ fuit simplex ac sincerus: ut si quid voluisset inter ami-
cos simulare ac dissimulare, non potuisset repugnante scili-
cet naturâ. Tam promptus & alacer ad benè de omnibus
merendum, ut etiam aliquotiens indignis suam opem non
negaret. Liberalis in omnes & maximè in bonarum litera-
rum studiosos. Fidè ac integritate vitæ tam candida fuit &
incorrupta, ut in neminem poterat magis congruere illud:
Sanctissimè vixit, Sanctissimè mortuus est. Famam nullâ
unquam sinistri rumoris labeculâ adpersit; hanc professus
est pro thesauro inæstimabili ac jucundo, eandem jam con-

sequutus; Svavitatem sc. suam, instar lili, diffundentem in
secula nunquam determinatura. Hic tametsi afficeretur in-
firmâ valetudine per totum ferè vitæ suæ curriculum, po-
tissimum cum triennio abhinc morbus lethalis se exserere
cœpisset, qvi indies magis magisque eum premebat intole-
rabili dolore; nihilominus in studiorum bonorum ac pieta-
tis negotio ita perstitit, ut Senex juvenes, ægrotans sanos,
vinceret; & ingenio vividus, & memoriâ præstans, & tole-
rantissimus esset laborum. Unicum adhuc adjicio: huma-
no videri potest iudicio, tantis ornamentis decoratum virum
boni publici causâ longiori vitâ dignum fuisse. Ast, sum-
mo arbitro votorum DEO aliter placebat, imò sic libitum
est fortunæ in rebus humanis ludenti, indignos attolle-
re, optimum quemquam dejicere, læta miscere tristi-
bus, &c. Vivit nunc in Cœlo, vivit & in terrâ: nomen
namque & virtutes ejus nulla unquam vetustas in Academiâ
hâc, & inter doctos & politos homines abolere, nulla ætas
contumescere potest. Ita se subduxit oculis nostris VIR MA-
XIMUS, non sine mœrore Civium, suspiriis Collegarum, ge-
mitibus Discipulorum.

Aliud.

Pandite nunc tristes Elegos, pia turba, Poëta!
Flete simul Musa Pieridesq. Dea!
Occidit ille senex nostra spes magna, TUNANDER,
Delicium & patria: prob miseranda dies!
Ingenij hic magnum specimen monstraverat annis,
Dum puer assiduus mox erat in studiis.
Quum teneris membris matura adoleverat ætas,
Tunc animi dotes exseruere caput.

Utq; animo crevit pariter mentemq; virilem

Induit; En! clarum sydus in orbe fuit.

Hinc crebris studiis volventis Biblia sacra

Inscit & nigras alba senecta comas.

Dixissem hic claras memorando ex ordine dotes;

Ast ea pracipitans lingua referre nequit.

Hoc saltem dico: transegit tempora vita,

Exemplum felix praestet ut ipse tibi.

Proh dolor? heu! charo velut à genitore relict:

Ab quanta ingenii facta ruina bonis?

Hanc tulit Aoniis quisquis desudat ad Auram

Sacris, hanc novit commemorare gemens.

Hanc tulit Abodia, qui calcat limina templi,

Nam sacro dulces fudit ab ore sonos.

Hanc tulerant omnes numeri majoris amici:

O gravis, O doctis mors lacrymanda viris.

Condolentia & debita observantia

ergo depropenatum

PETRO SERLACHIO

Singu-



Ingulare gratitudinis argumentum fore cen-
seo, velle viros in Repub: optimè meritos
justâ parentatione prosequi, nè defuncto-
rum solemnibus memoria oblivione interstin-
guatur. Quamvis non negarim, in hu-
jusmodi reciso scriptiois genere non per-
mitti prolixam laudum congeriem; Ta-
men sufficere autumo, tenui penicillo pertexere, quæ legen-
tem saltem admiratione detinere queunt. Vereor autem,
nè vox prorsus obmutescat, lingua arefiat, verbaque deficiant,
si ex perluctuoso hujus *Excellentiss: Dn. Professoris* fato
occipiam vitam ejus piâ commendatione adornare. Tot e-
nim rerum exemplaria, tot Panegyricorum testimonia, tot
industriæ ejus themata abundant, quæ lucidius Phæbo splen-
dent, clariusque luce suâ scintillant; ut mihi præ singulari rei
majestate non liceat, vel particulam quidem tantæ gloriæ di-
gnè adumbrare; dum obstupesco magnitudine meritorum,
quæ iam religioso potius silentio venerabor, nè divini senis
beatissimus status in cœlis, longo sermone quasi inquietetur.
Certum est, omnia tam superioris quam inferioris mundi cor-
pora interitui esse subjecta; nec ullis Regum thesauris, ullâ
sapientum gravitate, ullisque Oratorum figuris posse eam fa-
ti rabiem placari, quin consuetam feritatem servet. Quid
itaque homini præstat, omnes libros musis vectigales redde-
re; dum mortis ipse redditur vectigal? Quid prodest feliciter
immensum pelagus scientiarum emetiri, quando in mor-
tis voragine suffocamur? Quid refert; diffitos terrarum tra-
ctus invisere? mors tamen ultima linea rerum. Cujus lubri-
citatibus exemplum testisque est tumulus hujus beatiss. Profes-
soris. ille dum lucis usurâ fruebatur, cum calamitatibus
mundi congregari coactus, in quarum victoriâ dulci somno
tandem emarcuit; posteritati relinquens clarissima pietatis,
vir-

virtutis ac doctrinae suae monumenta. Adeo audeam dicere, hunc gloriam splendidum ac insignem, vitam vero valde infortunatum extitisse virum; quippe quae tota ferè cruciatibus circumventa, lunaeque mutabilitati similis erat. Porro quantum gravitate sacerdotium Christi, provinciam Academicam, aliaque officii sui munera obierit, neminem credo, qui aequalem consuetudinis ac famae ejus dulcedinem libavit, fugiet. Etiam omnium voto applausuque sedulo expetebatur, qui ingenii sui vim, sonoram oris facundiam, miramque morum elegantiam pietatis zelo distinctam, publice patefaceret; quorum votis ita satisfecit, ut mors ejus iam omnibus triste sit desiderium. Vigent enim viva ejus dieteria & multi admonitionum catalogi, quibus hanc Arctoi orbis plagam, cum perpetuo laudis encomio, illustravit. Nolo sigillatim descendere ad virtutis ejus sacramenta, ne multitudine obruar. Unum tamen in tam vasto laudum campo addam, quod incredibili illa mansuetudine, tot terrarum angulos, tot sapientiae Gymnasia lustrare valuerat: & ut erat mansuetissimus, studia & cogitata sua singula, Patriae, religioni & veritati dicavit. Merito igitur luctuosam voce fateri cogor, nos iam doctissimi Praeceptore orbatos & Christianae religionis optimo vindice. Cujus beatissima anima, inter sanctorum iubila & Angelorum cantica, in sinu Dei nunc quiescit & perennat!

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

IN Christo dormit divinus ab arte PROFESSOR,
TUNANDER; vivens Angelicorum choro.
Quem non Archiatri, nec plurima pharmaca mundi
Sanarunt, calè gaudia sanus agit.

Ita ὀλοκαυθῶς, in testimonium debiti
defuncto officii se.


JOHANNES SERLACHIUS, J.F.



Irum certè id videtur Christianis quoque hominibus, quòd piissimi quoque exquisitissimis passim erunt subiecti doloribus ac molestijs; multaque difficilia & perplexa, donec hanc degunt vitam, debeant sustinere; cum appareat quòdammodò sic illorum spem irritam esse; & nullum eis jus hereditarium remanere præter luctus & miseriam. Sed si rem probè pensitamus facillè deprehendemus aliter se habere. Etenim quo patientiores piissimi sunt homines; eò magis in hac vita tribulantur; Sed erit ipsis vita alia tranquillior hæc; Quæ in perenni aternitate durabit. Namque id sciamus quid illi qui in domo Domini ad requiem veniunt; Primo iure istum reportant fructum; ut ab omni tribulatione erepti sint; Nec postea illos quisquam dolor, nec mæror nec angor; nec quidquam turbabit. Idem certè jam accidisse Præceptoris nostro cernimus; cuius mortem lugemus; & cuius exemplum ante oculos est. Vixit ille in hoc seculo immensa aduersa acerbaque patiens; quibus quotidiè premebatur; cum vero omnia æquo animo tulit: nunc aeterni particeps cælestis gaudij; tanto ibi latior quanto hic durius afflictus; requie & refrigerio fruitur interminabili. Nobis verò quæquam tanto impostero viro carendum sit; Virtus tamen ac pietas quæ polluit; nobiscum remanebunt. Quæ cum ea conditione constricta non sint; ut cum vita simul emori possint; arbitrari sane convenit ipsum cum adesse nobis; quoties in illa intuebitur; & nunc exemplo suo ijs esse utilem; quos consilio quondam ac opera iuit adiutum. Semper itaque supererit grata apud nos ejus memoria; nec unquam tam profunda vetustas; quæ illam tanti viri exterminabit; cui pauci forte pares reperientur; qui vel pietati vel meritorum gloria viderentur posse conferri aut æquari.

JOHANNES FORSENIUS.

Inter

 Nter tot lugentium vultus totq; dolentium ora, mea
quid taces maestitia, cur lates observantia. Exsurge,
si non prolixis verborum ambagibus, debita tamen &
pia mente obitum Professoris nostri celeberrimi deplora-
ra? amissimus commilitones suavissimi, non modo succum &
sanguinem sed etiam colorem & speciem humanitatis & erudi-
tionis, hoc praecertim tempore, cum magnorum tanta sit penuria
ac paucitas virorum, ut cum singulis qui moriuntur, ipsa propè
eruditio ac litera efferrè videantur. Ita enim sunt res nostra,
ut in secundis rebus fluxas, in adversis bonas easdem esse sentiamus:
omniaq; nata interire & nihil quidquam in terris esse im-
mortale prater vim mentis & ingenij opera, exitus Praeceptoris
nostri quondam perindustrii, maxime docuit. Mandamus igitur
terra exhaustum ejus corpusculum, in quo magnus ille li-
terarum princeps animus, per annos LII: tanquam hospes in
angusto domicilio ac lare commoratus est: in quo tot praecelara
opera, tot divina monumenta, tot in posterum victura semper
scripta edidit, & aetatem traduxit haudquaquam otiosam &
quietam sine labore; sed in literis eum ita vidimus intentum,
ut qui mane ad eum accessisset, vesperi eodem loco deprehende-
rit: neq; cibus pene aut potus, ac ne ipse quidem somnus revoca-
re ab instituto, animi intensionem ullo modo potuit. Quam
optimo igitur parente orbati, quam fideli Praeceptore destituti,
quam jucundissimo suavissimoq; studiorum teste ac patrono pri-
vati sumus? inter hostes literarum & humani generis propudia,
in calumniarum & improbitatis caeno volutari porro pergimus,
donec tecum & cum ipsa aeternitate jungamur. Tu verò o ex-
celsa anima, quae soluta parte imbecilliore tui, de livore, de for-
tuna, postremo & de morte ipsa jam triumphas; quam insi-
gni vultus constantia, magna mentis praesentia sine ullo gemitu
& merore jam in dignitatem vindicata tuam, spatia immen-

sa aëris pervagaris. Tu in animo eris omnium, nominisq; magnitudine orbem univversum; diuturnitate autem fama, vastam temporum profunditatem æquabis. Sed quid tantum dolori indulgeamus, cum nihil triste ei accidere possit, nihil turpe, nec à quoquam ledatur. Non enim in hac vita voluit diutius commorari quoniam hic nihil est commodi sed potius laboris, cujus etiam habet satietatem & modum. Idcirco ex hac turba & colluvione ad beatarum animarum concilium cætumq; profectus est, ubi jam in palestra eternitatis triumphat, inter cantica angelorum, inter Prophetarum brachia & mira sonorum jubila lætitia omnibus numeris absoluta exultat: Nos ergo non deseruit, sed in ea loca discessit, quo nobis cernebat esse veniendum.

scripsit
MAGNUS Steen /

Inter peritura vivitur,
Magnisq; negatum,
Stare diu, nimioq; gravis sub pondere lapsus;
Canit clarissimus vatum

Æterna quippe lex, ut ait Lipsius, dicta huic Mundo, nasci, de-
nasci, oriri, aboriri, nec quicquam stabile ac firmum. summus il-
le rerum Arbiter esse voluit præter ipsum: itaque

Rebus in humanis sic nil durabile perstat,

Sed subito casu quæ valere ruunt.

Nec Regnorum tantum & rerum publ. vicissitudo, sed & hanc instabilitatem & rerum humanarum *καὶ ἀποφει* in ipsis hominibus videre est. Nam quid vita hæc nisi Scena, mundus Theatrum; Actores homines, mors Siparium? quæ in ipso Dramate, illos citius, hos tardius spectantium oculis subducit, & ut omnium finem facit Comœdiæ finis, sic mors nostri. Scilicet hæc hominum sors, hæc dura fata Excellentissimos etiam viros, de Ecclesiâ, de Repl. de literis optimè meritos, manent:

122
nent: ut ejus rei, ne longius abeam, domesticum, sed funestissimum (prohdolor) habemus documentum in NICOLAO TUNANDRO, Athenæi hujus Auraici Theolog. Profess: Celeberrimo, quem nostris usibus atra dies nunc abstulit. Heu tristem Reip. literariæ casum! vir pietate & vitæ sanctimoniam conspicuus, ac nunquam sine honore summâq; veneratione nominandus, obiit tandem, & mortalitatem explevit. Cujus tantum dedit natura ingenii flumen, cui tanta dicendi vis adnata, cui tanta comparata copia, quæ pietatē, candorem, fidelitatem, in obeundo munere constantiam, amorem erga proximum, & patientiam illius in omnibus ærumnis, non dicam exornare, sed dicendo complecti possit? Dignæ sanè virtutes tanto Theologo? quò enim quis in digniori munere constitutus est, eò magis anniti debet, ut virtutibus munus suum exornet, & subindè illud ore tritum expendat: *Spartam quam nactus es hanc orna.* Factū. quantā enim curā, quantāq; vigilantiam munus sibi concreditum asseruerit & vindicavit, máximo cum commodo studiosæ juventutis, omnibus benè notum est. Miranda quoque est ejus frugalitas ac temperantia. Egregiè & verè Patrum quidam: *Vir bonus & honestus paucis indiget.* Exemplum in hoc Magno Viro, nam ne cuiquam oneri esset, parcè ac suaviter vixit. Miremur ejus sobrietatem: sed magis vitæ ejus (quod raræ sed magnæ laudis) sanctimoniam, quæ tanta fuit, ut pares fortè habere potuerit, at vix superiores. Neque enim satis esse putavit, veritatem semel conceptam tueri, quâ voce, quâ calamo, nisi vitæ suæ exemplo & morum probitate ac modestiâ, eam quoque adversus imposteromnes, ac sycophantas stabiliret. At jam dirâ mortis falce necatus jacet. O jacturam inæstimabilem! Caucasio durior est, & fibræ, ut sic dicam, corneæ, omnemque humanitatis sensum animo ejecit, qui obfirmato animo tanti viri funestum hunc audit obitum.

Sed

Sed

Nunc tamen est felix, mundi quia turbine victo,

Securis tumulis otia tuta tenet.

Otia tuta tenent securis membra sepulchris,

Pars tamen in caelis spiritualis ovat.

Ultimi officii declarandi causâ scribebat.

JOHANNES J. AURICOLA.

Ingenti dolore suffundebar, dum innotuit, Inspectorum Nationis nostrae longè gravissimum è vitâ decessisse; siquidem intellexi, id fieri non nisi magno nostro dispendio. Ille enim ita meritis ac virtutibus omnibus inclaruit, ut æmulum multorum sanctorum jure dixerim. Præterea tantâ comitate, tamq̃ incredibili continentia, dum huic Athenæo & cæui mortalium præset, floruit; ut nemo (nisi adamantinus) ad ejus tumulum lachrymas non effundat. Verùm retinenda sunt quærelæ immodicæ, cum res infecta fieri nequeat. Optandum sanè, recenti memoriâ, piissimos ejus sermones constantiq; signa divina quivis retinere, imò perpetuâ memoriâ recolere queat. Caterùm, ei felicem adgratulamur obitum; quando diu hic vivere, circa mundi hujus quisquiliæ, nihil aliud est quam diu angî & cruciari; Voveo, pariter nobis omnibus ad ætria cælorum ascendere, & beatorum contubernio frui cum ipso liceat!

Condolenti animo hæc pauca adjecit

JOH. CORYLANDER.

